DISSERTATIO IVRIS ECCLESIASTICI EPISTOLICA DE ADIVNCTIS SVPERINTENDENTIVM CHOREPISCOPORVM VETERIS ECCLESIAE PROPAGINE

NVPTIIS

VIRI PLVRIMVM REVERENDI

IOHANNIS GEORGII HERBERTI

PASTORIS ET ADIVNCTI

FRAVENBREITVNGENSIS IMMEDIATI ET IVDICII INFERIORIS ECCLESIASTICI ASSESSORIS

AFFINIS SVI HONORATISSIMI

DICATA

A

GEORGIO HENRICO AYRERO D.

GOTTINGAE

LITERIS IOH. CHR. LVD. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.

CIƆ IƆ CC XXXIX.

VIR PLVRIMVM REVERENDE,

AFFINIS HONORATISSIME!

Iucunde ſemper & ſuauiter recordor praeteritorum temporum, quibus TE vel in vrbe noſtra patria inſtituendis ſereniſſimis principibus iuuentutis, quorum pueritia TE magiſtro adoleuit, admotum aſſignatamque TIBI ſtationem pulchre tuentem, cognoui primum, vel deinceps in principum aulis, Saxo-Gothana & Coburgenſi, ſubinde ſum conſpicatus, vel denique vltima vice nundinis Lipſienſibus inter comites SERENISSIMI DVCIS SAXO-MEINVNGENSIS, DOMINI CAROLI FRIDERICI, tum ex itinere reducis, cui Deus in ſolatium patriae aetatem longaeuam omnisque generis felicitatem concedere velit, forte fortuna offendi ſaluumque ac incolumem laetus ſalutaui. Sicuti enim iam dudum integritatem fidemqe TVAM mihi commendauerant communes amici; ita eo maioris haſce virtutes, poſteaquam propius nouiſſe mihi contigiſſet, in TE feci, quo rarius etiam hoc aeuo, nam vetus iam eſt de *candore paene intermortuo* querela, in coetibus mortalium, vbi haud raro ingenuitati bellum indicatur, & probitas ſaepe fuco ſimulatae amicitiae decipi ſolet, tam candidae animae depre-

henduntur. Summae autem, quas honeſtati iungis, ſuauitates ingenii, officii, conſuetudinis, humanitatis TVAE, adeo TE mihi carum meque TIBI deuinctum reddiderunt, vt vehementer TIBI cuperem quaeuis proſpera, TEque Lipſia ad patria limina redeuntem ſinceris votis fauſtisque acclamationibus comitarer. Omnia iam tum auguria ad bonam ſpem vergebant, dignum TE meritis TVIS animique ac doctrinae bonis praemium breui eſſe conſecuturum. Neque illam vanam fuiſſe, mox TIBI poſt reditum TVVM in patriam collatum munus eccleſiaſticum, quo nunc ſumma cum laude fungeris, oſtendit. Quod cum mihi relatum eſt a ciuibus noſtris, maximam pro meo in TE ſtudio prolixiſſimo cepi voluptatem, nec minori ſum perfuſus gaudio, cum non ita multo poſt audirem, TE amabilem vxorem duxiſſe atque ita cum illa viuere, vt nouam TIBI congratulandi materiem amicis TVIS praeberes. Verum enim vero, quae humanarum rerum viciſſitudo eſt, laetitia iſta non admodum fuit diuturna. Poſt lapſum enim paucorum annorum dulciſſima coniux TIBI praematura morte erepta eſt. Quo triſti nuntio ad aures meas perlato, luctum TVVM non minus dolui, ac antea rebus TIBI feliciter ſuccedentibus fueram laetatus. Satis igitur, opinor, ex hac tum doloris tum voluptatis TVAE participatione intelliges, TE iam pridem neminem me TVI amantiorem habuiſſe, quamuis hic amor meus ad hoc vsque tempus ſub amico pectore latens intra tacita ſolum vota pro TVA TVORVMQVE incolumitate ſeſe continuerit. Sed cum nuper literae TVAE iucundiſſimae, quibus mihi TVVM & in me animum & erga ſororem meam dilectiſſimam, quam TIBI, ad ſecundas nuptias tranſiturus, tori ſociam elegiſti, connubialem amorem beneuole ſignificaſti, maximum laetitiae cumulum attulerint, amicitiaeque adeo affinitatis coniunctio, qua nulla mihi gratior acceptiorue nuntiari potuiſſet, acceſſerit; tacere non poſſum, quin meum in TE affectum publice TIBI hiſce literis teſtificer. Sane ſorori cariſſimae non defuturus eſſem

ad

ad connubia frater,
Primus sed ferrem quateremque hinc lampada vestro
Coniugio, primus celebrans dotalia sacra,

nisi & locorum, quibus disiuncti sumus, interualla, & negotiorum atque occupationum, quibus distineor, multitudo id prohiberet. Ne tamen, neglecta hac scribendi occasione, plane officium deseruisse videar, laetabundus manum calamo admoueo, vt & TIBI nouam coniugem, quam non solum

laetorum sociam rebusque secundis
Accipis,

sed quae etiam lubens

In curas veniet partemque laborum,

& sorori meae dignissimum maritum, & mihi affinitatis vinculum gratuler exoptatissimum. Praesagit mihi animus ex summa animorum VESTRORVM consensione mutuoque amore VESTRO nuptias auspicatas, nec minus concors atque dulce coniugium sororis cum viduo, ac meum est cum vidua. Quo sicuti nihil cum VOBIS, tum mihi optabilius esse potest; ita supremum Numen, a quo *magnum sane*, vt cum IVSTINIANO (*a*) & LEONE Imperatoribus (*b*) loquar, *excellensque donum ad mortales promanauit matrimonium, nihilque in rebus mortalium perinde venerandum est*, supplex oro, vt VESTRVM, quod modo contraxistis, fortunatum ac omnibus bonis affluentissimum praestet, vosque ad seros annos societate & concordia coniugali frui iubeat! Subsisterem hic, neque TE, MARITE NOVE, diutius morarer, nisi mecum constituissem, dum hoc gratu-

(*a*) Nou. 140.

(*b*) Nou. 26.

landi officio fungor, simul de muneris, cui praepositus es, origine nonnulla differere, vt pote nullum tempus eiusmodi disquisitionibus inopportunum ratus. Quare, vt patientia TVA tantisper adhuc vti & TV, & quisquis has pagellas legeris, mihi permittas, vehementer etiam atque etiam rogo.

Dum autem de Adiunctis ad TE scribere animus est, ADIVNCTE PLVRIMVM REVERENDE, neque Adiunctos facultatis philosophicae, quos passim in Academiis deprehendimus, neque ecclesiae Romanae, qui Episcopis substitui solent & Coadiutorum (*a*) nomine sunt insignes, neque ministerii ecclesiastici, qui apud Protestantes Substituti audiunt, (*b*) sed Adiunctos Superintenturae, quos vocamus, a me intelligi, ex ipsa muneris TVI, quod toti huic dissertationi ansam praebuit, indole ac natura facile colliges. Et talium quidem Adiunctorum origo non aliunde, quam a Chorepiscopis veteris ecclesiae, repetenda mihi videtur. Quod vt paulo dilucidius demonstrem, Christianae ecclesiae memoria vltima recolenda eiusque status primus inuestigandus est.

Si

(*a*) De quorum origine agit Ill. BOEHMERVS in *Originibus praecipuarum materiarum iuris ecclef.* Cap. XIV. Conf. PETRVS DE MARCA *Concord. Sacerd. & imper.* L. VI c. 8. LVDOV. THOMASSINVS *Veter. & nou. ecclef. discipl.* P. II. L. 2. c. 57. CASP. ZIEGLER. *de Episcop.* L. 1. c. 15. & qui ex instituto hoc argumentum tractauit, ANT. DADIN. ALTESERRA in Dissert. binis *de Coadiutoribus Episcoporum,* inter eiusdem *Dissertationes iuris can.* Tolosae 1657. editas.

(*b*) Horum & vocationem atque constitutionem & salaria ac priuilegia data opera persequitur D. IO. DAN. STIPPERVS in Diss. *de eo, quod iustum est circa ministror. ecclesiae substitutos.* Lips. 1727. edit.

Si igitur cum Ill. BOEHMERO, (*a*) quo non meliorem in excutiendis reconditae antiquitatis monumentis ducem ſequi poſſumus, a capite ordimur & ad ipſa Apoſtolorum tempora adſcendimus, illos ciuitates in primis, multitudine hominum abundantes largioremque adeo meſſem promittentes, adiiſſe in iisque eccleſias condidiſſe, quidem obſervamus. Sicuti tamen a generis humani redemtore per totum terrarum orbem emiſſi varias Iudaeae regiones peragrarunt; ita nullum plane eſt dubium, eos quoque agris & vicis verbum diuinum annunciaſſe coetusque fidelium hinc & inde diſperſorum etiam rure collegiſſe ſuaque imbuiſſe doctrina. Falcem in alienam meſſem immittere TIBI forſan videbor, ſi ad confirmandam hanc ſententiam ante omnia auctoritate noui foederis ſcriptorum vtar. Sed, ne putes velim, AFFINIS HONORATISSIME, ICtos, vti quidem vulgo creditur, adeo malos eſſe Chriſtianos, vt lectionem ſacri codicis prorſus negligant; quin potius cum Corpore iuris inſeparabili illam nexu coniungendam eſſe, vel ob varias cauſarum deciſiones, ex iure diuino reuelato repetendas, cuiuis genuino Iurisprudentiae cultori perſuaſiſſimum eſt. Ex Praeconibus adeo Euangelii LVCAS de Petro & Iohanne ita ſcribit: (*b*) οἱ μὲν οὖν, διαμαρτυράμενοι καὶ λαλήσαντες τὸν λόγον τοῦ κυρίου, ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλήμ, πολλάς τε κώμας τῶν Σαμαρειτῶν εὐηγγελίσαντο. Cuius loci verſionem Latinam in gratiam eorum, qui Graeca neſciunt & hinc, non legi illa debere, forte putauerint, me hic addere, haud aegre feres, vtpote qui Graeci peritiſſimus ſermonis nullo interprete indiges. Ita autem habet: *Illi quidem itaque teſtificati & loquuti verbum domini, redibant in Hieruſalem,* multosque vicos

 Sama-

(*a*) In Diſſ. *de Chriſtianorum coetibus in vicis & agris,* quae eſt Vta *Diſſertationum iuris eccleſ. antiqui ad Plin. Secund. & Tertull.*

(*b*) Actor. VIII, 25.

Samaritanorum euangelizarunt. Clarius adhuc rem, de qua mihi quaestio est, explicat CLEMENS ROMANVS, apud quem *(a)* haec de Apostolis legimus: Κατὰ χώρας ὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίσανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. i. e. *per regiones igitur* s. *agros & vrbes verbum praedicantes, primitias earum,* scilicet regionum ac ciuitatum, vti recte interpretatur IOH. BOISIVS; *(b) spiritu probantes, Episcopos & Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt.* Quo respexit forsan M. ANT. DE DOMINIS, *(c)* inter caetera, quae contra purpuratos aulae pontificiae, BARONIVM & BELLARMINVM, de successione pontificis Rom. in Episcopatu Petri disputat, vrgens, Petrum iam tres habuisse Chorepiscopos insignes, Linum, Cletum & Clementem. Quanquam, vt statim ex sequentibus patebit, nomen Chorepiscoporum tardius, quam ipsa res, innotuerit, id quod diligentissimum alias antiquitatum ecclesiasticarum scrutatorem, LVD. THOMASSINVM *(d)* aeque, ac MORINVM, *(e)* ideo a IACOBO BASNAGIO, *(f)* CLEMENTIS locum aduersus nonnullorum obiectiones vindicante, refutatum, haud dubie seduxit, Chorepiscopos tria priora secula habuisse plane nullos, falso inde sibi persuadentes.

Confirmat, quae ex Actis Apostolorum Epistolisque CLEMENTIS adduxi, inter scriptores profanos PLINIVS SECVN-

(a) *Epist.* I. ad *Corinth.* c. 42.

(b) in *Annotationibus* ad h. l. HENRICI WOTTONI editioni Cantabrig. an. 1718. adiectis.

(c) de *Rep. eccles.* L. IV. c. 6. §. 17.

(d) l. d. P. 1. L. 2. c. 1. §. 8.

(e) de *Ordinat.* P. 1. Ex. 4. c. 1.

(f) *Histoire de l'Eglise* L. 1. c. 5.

SECVNDVS, (a) Trajano, vt rem miratu dignam, referens, *non ciuitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagionem peruagatam esse.* Hoc autem ipsum nomine contumelioso Christianae incrementum religionis indicasse, nemo mirabitur, qui cogitauerit, gentilem fuisse adeoque ex mente gentilium non aliter loqui potuisse, quorum quippe indignatio aduersus crescentes indies Christianorum coetus frequenter admodum, teste TERTVLLIANO, (b) fuit audita. *Obsessam*, inquit, *vociferantur ciuitatem, in agris, in castellis, in insulis Christianos. Omnem sexum, aetatem, conditionem & iam dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento moerent.* Vnde quoque factum est, vt gentilibus, quorum magnus adhuc numerus passim in pagis ac vicis supererat, quamuis iam pleraeque ciuitates Christianam religionem amplexae essent, nomen paganorum tribueretur, ad omnes deinde Ethnicismo addictos, vtut in vrbibus commorantes, translatum. Quam solidam denominationis rationem tum GERH. IOH. VOSSIVS (c), tum ARNOLDVS VINNIVS (d) reddit, ab Illustri HEINECCIO (e) quoque approbatam illustratamque. Plura testimonia, quae partim Ill. BOEHMERVS (f), partim scriptor Anglus (g) ex patribus ecclesiae, IVSTINO MARTYRE, CYPRIANO & EVSEBIO hanc in rem attulit, superaddere huius scriptionis limites vetant.

Id

(a) Lib. X. epist. 97.
(b) In *Apologet.* c. 1.
(c) In *Comment.* ad PLINII Epist. cit. p. 45. sq.
(d) Ad pr. I. de *militari testamento* voc. paganor.
(e) *In not.* ad VINNII *Comment. ad Instit.* l. d.
(f) Diss. cit. §. 3. sqq.
(g) in Tr. *de Regim. eccles. primor. seculor.* a IENCKINO THOMASIO ciuitate Latina, & a IOH. EVSTACHIO GOLDHAGEN Germanica donatus, cap. 11. §. 12.

Id potius nunc monendum eſt, non aliam eccleſiarum, in agris & vicis, quam in ciuitatibus, collectarum, fuiſſe rationem, & vtrasque ab initio ſuos habuiſſe presbyteros ſ. Epiſcopos, (*a*) nec nomine, nec dignitate, nec poteſtate, a ſe inuicem diſtinctos, ſed aequales omnes gradu, *eiusdem*, vt HIERONYMVS ait (*b*), *meriti eiusdemque ſacerdotii*, quod non ſolum ex iis, quae modo laudatus BOEHMERVS aduerſus cathedrae Epiſcopalis adulatores nimios diſſerit (*c*), ſed exinde quoque fit planum, quod, vti plenius ſcriptor ille Anglus (*d*) probauit, Epiſcopatus tum non latius, quam hodiernae parochiae, quod vocabulum a ruſticanis eccleſiis ad vrbicas translatum eſſe, obſeruat DIONYSIVS PETAVIVS, (*e*) patuerunt. Neque improbabilis eſt coniectura, quam plures ex Epiſcopis, ao. CCLVIII. Carthagine congregatis numerumque LXXXVII. implentibus, fuiſſe oppidorum obſcurorum Epiſcopos, cum apud PTOLEMAEVM aliosque veteres Geographos nuspiam oppidorum nomina reperiantur. Paſſim hinc apud antiquos ſcriptores eccleſiaſticos ruralium Epiſcoporum fit mentio, vti pluribus SAMVEL BASNAGIVS (*f*) oſtendit.

Sed

(*a*) Ignotum enim fuiſſe olim presbyterorum & Epiſcoporum diſcrimen, iam dudum euicerunt alii. Vid. WALO MESSALINVS ſ. SALMASIVS de Epiſcop. & presbyt. Conf. VAL. VELTHEMII Diſſ. de Epiſcopor. iur. & BOEHM. Comment. ad P. de MARCA C. S. & I. L. II. Obſ. 9. Poſtquam autem illud per vrbanas eccleſias inualuit, in ruralibus quoque Epiſcopi a presbyteris diſtingui coeperunt.

(*b*) Ep. 85.

(*c*) Diſſ. cit. §. 4. ſq.

(*d*) l. d. cap. 11. ſqq.

(*e*) Ad *Epiphan. Haereſ.* 69. p. 276. edit. Pariſ. ann. 1622. Originem parochiarum indagauit BOEHMERVS in *Orig. praecip. mat. iur. eccleſ.* cap. III. & plenius in *iure paroch.* Sect. II. cap. 2.

(*f*) *In Annal. eccleſ. ad ann.* 341. §. 14. ſqq.

Sed ſucceſſu temporis & ſeculo in primis IV. vbi de poteſtate, officio & gradu illorum diſputari coeptum eſt, Epiſcopi in vrbibus, quorum ambitio tum in immenſum creuerat, amplius ferre non potuerunt hanc aequalitatem, quin potius, nomen Epiſcopi in agris vileſcere, putantes, effecerunt, vt, hocce titulo ſibi ſolis reſeruato, ii, qui rure degerent, Chorepiſcopi non a choro, quaſi inſpectores chori, aut ex choro ſacerdotum eſſent, vt perperam nonnulli exiſtimarunt (*a*), ſed a χώρα, quod vocabulum villam vel agrum ſignificat, quia erant χώρασ, vel, vt DIONYSII EXIGVI auctoritate motus, mauult IOH. CASP. SVICERVS (*b*), τῶν χωρῶν ἐπίσκοποι, ruris Epiſcopi, Regionarii, villani, vicani, quae nomina promiſcue adhiberi videas, appellarentur. Prima talium Chorepiſcoporum mentio facta in Synodo Ancyrana an. CCCXIV. circiter in Galatia habita, can. XIII. Poſtea in conciliis Neocaeſarienſi c. XIV. Antiocheno c. VIII. & X. Laodiceno c. LVI. & in ſequentibus Synodis, praeſertim Chalcedonenſi c. II. aliisque veterum monumentis multa & frequens occurrit. Neque Occidenti haec dignitas incognita manſit, tametſi ſerius ipſum nomen ibi ſit vſu receptum. (*c*)

Neque vero in ſola nominis differentia acquieuit faſtus Epiſcopalis, ſed, eccleſiarum ratione magis magisque ad ſtatum ciuilem ſeſe componente & ſubordinatione inter ipſos Epiſcopos inualeſcente, Chorepiſcopi quoque Epiſcopis ciuitatenſibus, quos vocant, ſubiecti fuerunt. Vnde ad exemplum

(*a*) Conf. STRYCK. *annot.* ad SCHILT. *I. I. C.* L. I. Tit. 7. §. 21. add. RHAB. MAVRVS de *inſtitut. ſacerd.* L. I. c. 5.

(*b*) In *Theſ. eccleſ.* voc. χωρεπίσκοποσ.

(*c*) Vid. BLONDELLVS de *Epiſcop. & presbyt.* Sect. III. ZIMMERMANN. *Anal. miſc.* menſ. XII. n. 4.

emplum regiminis secularis territorium Episcopi regio illa, quae ciuitati adiacet & in antiquis canonibus Dioeceseos, aliquando etiam paroeciae nomine venit, vocari coepit. (*a*) Haec tamen subiectio dignitatem Episcoporum ruralium non magis imminuere potuit, quam Episcopi in ciuitatibus ideo quidquam ex sua amiserunt, quod Metropolitano subordinati essent. Neque hinc opus est illos vel cum THOMASSINO (*b*) ex collegio Episcoporum penitus expungere, vel, quod CABASSVTIVS, (*c*) BELLARMINVS (*d*) & P. DE MARCA, operose hanc distinctionem persecutus, (*e*) sed a BLONDELLO (*f*) refutatus, faciunt, inter Chorepiscopos, qui habuerint ordinationem Episcoporum & alios, qui meri fuerint presbyteri, distinguere, vel cum iuris canonici interpretibus plerisque, TVRRIANO, (*g*) ESTIO, (*h*) ANT. AVGVSTINO (*i*) & aliis, quos etiam sub ficto WALONIS MESSALINI nomine latens CLAVD. SALMASIVS, (*k*) SPALATENSIS item, (*l*) FIELDIVS (*m*) & FOR-

(*a*) Vid. c. 10 C. 16. q. 7. c. 17. C. 18. q. 2.

(*b*) l. d. P. 1. L. 2. c. 1. §. 3.

(*c*) *Notit. concil.* c. VIII. p. 45.

(*d*) de *Cler.* L. 1. c. 17.

(*e*) de C. S. & I. L. II. c. 13.

(*f*) de *Episcop. & presbyt.* Sect. II. p. 43. & Sect. III. n. 11. sqq.

(*g*) *Not. in can.* 54. *Concil. Nic. Arab.*

(*h*) *in IV. Sent. Dist.* 24. §. 30.

(*i*) *Epit. iur. can.* L. VI. Tit. I. c. 8. 11. 13.

(*k*) l. d. c. V.

(*l*) de *Rep.* P. I. L. 2. c. 9. n. 17. sqq.

(*m*) *Of the Church* L. V. c. 29.

FORBESIVS (*a*) ſequuntur, presbyterorum ordini ſimpliciter accenſere, vel, vt ZIEGLERO, (*b*) cuius opinioni non ſolum CHRISTIANVM THOMASIVM, (*c*) ſed etiam viros ſumme reuerendos, CHRISTIAN. MATTH. PFAFFIVM (*d*) & SALOM. DEYLINGIVM, (*e*) adſtipulari video, placuit, Chorepiſcopis medium inter Epiſcopos & presbyteros locum aſſignare adeoque praeter eccleſiae antiquae rationem quatuor Clericorum ordines, quorum tantum tres noti ſunt, ſtatuere. Quae diſtractae eruditorum de Chorepiſcopis ſententiae cauſa fuerunt, cur amplus caeteroquin rerum eccleſiaſticarum collector, GOTTFR. ARNOLDVS, (*f*) eos ſaltem leui brachio attigerit, nihilque de iis definiuerit. Fuiſſe vero non tantum Epiſcopis ſuppares, quo DIONYSIVS PETAVIVS primum inclinat, (*g*) ſed, quod ipſe deinde, clarius mentem ſuam explicans, agnoſcit, veros Epiſcopos, in villis atque agris cum poteſtate presbyteros rurales, qui ἐπιχώριοι c. XIII. Concil. Neocaeſ. ſ. presbyteri ἐν ταῖς χώραις c. VI. Concil. Antiochen. dicuntur, atque a DIONYSIO EXIGVO *presbyteri ruris*, in aliis canonum editionibus *conregionales* Latine redduntur, regendi conſtitutos, & ipſum nomen ſatis indicat, & iam pridem a clariſſimis Anglis, BARLOVIO Epiſcopo, (*h*) HAMMONDO,

(*a*) *Iren.* L. II. c. 11. prop. 14.

(*b*) de *Epiſc.* L. I. c. 13. §. 1. ſqq.

(*c*) *In not.* ad LANCELL I. I. C. Lib. I. Tit. 17. §. 1. n. 238.

(*d*) *Inſtit. iur. eccleſ.* L. II. c. 3. §. 10.

(*e*) *Inſtit. prud. paſtor. protheor. gen.* c. 1. §. 13. extremo.

(*f*) In der Abbildung der erſten Chriſten L. II. c. 11. §. 15. ſub finem.

(*g*) l. c. p. 277.

(*h*) *Letter to Bishof Vsher in Vsh.* Lett. 222. p. 520.

(*a*) BEVERIGIO, (*b*) CAVEO, (*c*) multis argumentis fuit demonſtratum, quibus nouiſſime calculum ſuum adiecit accuratiſſimus originum eccleſiaſticarum indagator, IOSEPHVS BINGHAMVS, (*d*) dubia ſimul nonnullorum, qualia etiam ZIEGLERVS BEVERIGIO obmouit, ſolidiſſime ſoluens & Chorepiſcoporum officium atque poteſtatem exacte deſcribens. Eandem quoque ſententiam tuetur Ill. BOEHMERVS, (*e*) cuius veſtigia preſſit IAC. GABR. WOLFFIVS. (*f*) Hoc tamen negari nequit, Chorepiſcoporum, qui nimium ſibi arrogare incipiebant, poteſtatem in conciliis ſeculi IV. valde limitatam, ipſosque ab Epiſcopis, qui eccleſiis in vrbibus praeerant, magis magisque fuiſſe diſtinctos (*g*). Etiamſi enim intuitu officii συλλειτουργοὶ ſ. comminiſtri & collegae Epiſcoporum vocarentur; attamen, vt ſaltem dignitate villanos ſe inferiores eſſe, oſtenderent praeſules vrbani, nouum vicariorum nomen introduxerunt, habere quidem Chorepiſcopos dignitatem Epiſcopalem, ſed vicariam ſolum, & ſic omnem eorum poteſtatem ab Epiſcopo, cui ſubeſſent, tanquam a capite gubernationis eccleſiaſticae, dependere. Quod ipſum tamen ab Epiſcoporum ordine illos minime excluſit, neque quidquam obſtat, quod Epiſcopalia quarundam functionum exercitia iis fuerint denegata. Duplicis generis Chorepiſcopos in vetere eccleſia fuiſſe, alios ſcilicet in paruulis oppidis, vicis ac pagis; alios contra, qui in

(*a*) Diſſert. III. *contra* BLONDELL. c. 7.

(*b*) *Pandect.* Tom. II. *Not. in Concil. Ancyr.* c. 13. p. 176.

(*c*) *Prim. Chriſt.* p. 1. c. 8.

(*d*) *Orig. eccleſ.* L. II. c. 14. §. 4. ſqq.

(*e*) Diſſ. cit. §. 8. & 9.

(*f*) *Inſtit. iurispr. eccleſ.* L. I. c. 7. membr. 3. §. 21.

(*g*) Vid. c. 4. D. 68.

in vrbibus maioribus ipſorum Epiſcoporum praeſentium vices gererent, ex canone VIII. Concilii Nicaeni euincere ſtuduit ANT. VAN DALE. *(a)* Quod quomodo ſit accipiendum, explicat IOH. FRANCISC. BVDDEVS. *(b)*

Reprobatos tandem Chorepiſcopos & penitus ſublatos fuiſſe, vulgo ex epiſtola quadam DAMASI *(c)* probari ſolet; ſed aeque illam ſuppoſititiam eſſe, ac alias eiusdem farinae decretales, in Collectione ISIDORI MERCATORIS obuias, ex inſtituto demonſtrauit DAVID BLONDELLVS. *(d)* Primum iis vulnus inflictum eſt ao. CCCLX. in Concilio Laodic. c. LVI. vbi patres tum congregati ita ſanxerunt: *Ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς,* quod *non oporteat in villulis vel in agris conſtitui Epiſcopos, ſed periodeutas.* Quod vocabulum non circuitorem ſ. circumcurſatorem, vti quidem vulgo redditur, ſed curatorem animarum eodem ſenſu denotare, quo curatores corporum ſ. Medici olim dicebantur periodeutae, *(e)* praeter SALMA-

(a) *In Diſſert. de vera & falſa prophetia* p. 1. c. 4. p. 218.

(b) In Commentat. Hiſtorico-dogmat. *de Eccleſia Apoſtolica* c. VI. §. 3. not. ** pag. 687.

(c) Vid. c. 5. D. 68.

(d) *In Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulante.* Conf. *programma noſtrum inaug.* de *Collectione iuris can. tum veteris tum recentioris*, pag. 22. ſq.

(e) Frequens eſt apud veteres haec Medicorum appellatio, rei ipſi adeo viſa conueniens, vt *περιοδεία* & *περιοδεύειν*, quae vocabula proprie actum obambulandi indicant, cuiuscunque morbi ſanationem & profanis & eccleſiaſticis ſcriptoribus ſignificarent. Quod variis exemplis & CAROLVS DV FRESNE *in Gloſſ. med. & inf. Graecit.* & SVICERVS in *Theſ. eccleſ.* h. v. docent, quorum illud, quod ex ATHANASIO deſumtum eſt, prae caeteris ideo meretur notari, quod idem verbum ibi de Chriſto coecum ſanante adhibetur. Sed quod multis eiusmodi vocabulis accidit, inno-

SIVM *(a)*, SVICERVM *(b)* & HILDEBRANDVM, *(c)* contendit ſupra laudatus IAC. BASNAGIVS, *(d)* inde curati titulo, qui medio aeuo promiſcue parochis tribui ſolebat & hodienum apud Gallos, vti vocabulum *Curé* teſtatur, vſitatus eſt, lucem affundere conatus. Ratio, quae potiſſimum huic explicationi fauere videtur, haec eſt, quod periodeutae in locum Chorepiſcoporum ſubſtituendi ex intentione concilii, nomine ſaltem Epiſcopali mutato, nihilominus in vno loco manere debuerint. Verum enim vero munia ipſorum in circumeundis luſtrandisque eccleſiis omnino conſtitiſſe, peculiari opera ſatis probatum dedit GVSTAV. GEORG.

innocenti & honeſta appellatione in deteriorem partem detorqueri coepta, male deinde periodeutae audire eoque nomine Medicaſtri & circumforanei tantum denotari coeperunt. Vnde nec MODESTINVM ICtum, cuius fragmentum extat in l. 6. ff. de *Excuſat.* vbi §. 2. Medicis, qui periodeutae vocantur, quemadmodum a reliquis muneribus, ita etiam a tutela & cura vacatio tribuitur, non tales intellexiſſe circulatores, ex aliis iuris textibus probat MENAGIVS *in Amoenit. iur. ciu.* c. 35. p. 219. Neque vero ſedentarios & in vmbra medicinae ſtudia exercentes, vti CVIACIVS ad h. l. notauit, quos, obſeruante MENAGIO, l. d. p. 220. Medicorum princeps, HIPPOCRATES, λόγῳ, οὐκ ἔργῳ ἰητροὺς vocat, ſed eos ſolum, qui circumeundo & aegros perambulando publicis commodis inſeruiunt, atque Clinici alio nomine dici conſueuerunt, hoc priuilegio gaudere, ipſa ratio legis ſatis innuit, quae illos onere tutelae ab officio aegrotos viſitandi non vult auocari.

(a) De Epiſc. & Cler. p. 314.

(b) Theſ. eccleſ. voc. περιοδευτής.

(c) De Epiſc. §. 50.

(d) l. c. §. 6.

ORG. ZELTNERVS. (*a*) Vnde non male SCHILTERVS (*b*) eis comparat die Land-Inſpectores, paſſim ad eccleſias viſitandas conſtitutos & pagos vicosque crebro hoc fine obambulantes. Sicuti tamen ipſe ZELTNERVS Celeberrimi EVERH. OTTONIS (*c*) ſententiam in medio relinquit, ſcilicet ſimilem Medicorum, aegros viſitantium, circuitioni vocis periodeutae ſignificatum eſſe, ſed ipſos periodeutas praeter munus illud eccleſias obeundi certae eccleſiae ſ. certo alicui vico affixos fuiſſe; ita iis, quae in contrariam partem moneri poſſent, repugnat locus THEODORITI, quem pro eadem opinione ſtabilienda attulit elegantiſſimus AEGID. MENAGIVS. (*d*) Sed quamcunque demum ſententiam in re tam dubia & a noſtra aetate tam remota amplectaris, id certum eſt, patres concilii Laodiceni ſcopum ſuum non ſtatim obtinuiſſe. Diſcrimen enim inter Chorepiſcopos & periodeutas per longa adhuc temporum interualla continuatum fuiſſe, tum ex l. 42. §. 9. C. de *Epiſc. & Cler.* obſeruat. Ill. BOEHMERVS, (*e*) tum variis Chorepiſcoporum, poſt illa tempora adhuc occurrentium, exemplis DIONYS. PETAVIVS, IAC. BASNAGIVS & IOSEPHVS BINGHAMVS oſtendunt. (*f*) Diutius adhuc in eccleſia Occidentali, vbi etiam, quod ſupra iam monui, tardius innotuerunt, floruiſſe, conſtat, Chorepiſcopos, neque hos ab ordine Epiſcoporum excludi paſſus

(*a*) In *Theologo circuitore ſ. de periodeutis veter. eccleſ. reſtituendis* voto, quod diſſertationis Hiſt. Theol. argumentum continet, Altorf. 1718. edit.

(*b*) *I. I. C. L. I.* Tit. 7. §. vlt.

(*c*) *De aedil. colon.* c. VI. n. 7.

(*d*) In *Amoenit. iur. ciu.* c. 35. p. 217.

(*e*) *Iur. Eccleſ. Proteſt.* L. III. Tit. 39. §. 31.

(*f*) locis cit.

ſus eſt RHAB. MAVRVS, ſeculo IX. ſedem Archiepiſcopalem Moguntinam occupans, ſed ipſis aduerſus deciſionem Leonis III. Pontificis, cui contentionem hac de re exortam dirimendam propoſuerat Carolus M., dignitatem Epiſcopalem vindicauit. (*a*) Neque vero ſtatim decretum papale de abrogandis Chorepiſcopis a proceribus, qui tum in comitiis Ratisbonenſibus congregati erant, approbatum fuit, quippe qui eos ſaltem ad presbyterorum ordinem reuocarunt. (*b*) Ab hoc tamen temperamento ipſum Carolum M. tempore procedente receſſiſſe atque Chorepiſcopos de gradu deieciſſe ſuo, immo tandem penitus ſuſtuliſſe, ex variis capitulis colligit ZIEGLERVS (*c*), qui ſimul cauſas diuturnae ipſorum conſervationis in eccleſia Occidentali diſſoluto Epiſcoporum viuendi generi adſcribit, qui, genio ſuo indulgentes, venationi, aucupio caeteriſque ſeculi oblectamentis, vnice vacabant & ad functiones officii ſui vicaria aliorum opera vtebantur. Vnde apud pſeudo DAMASVM, (*d*) cuius fictae epiſtolae circa illud tempus lucem adſpexerunt, meretricibus comparantur, *quae ſtatim, vt pariunt, infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, vt ſuam citius libidinem explere valeant.* Nam & ipſi *infantes ſuos, id eſt, populos ſibi commiſſos aliis educandos tradere* ibi dicuntur, *vt libidines expleant, id eſt, pro ſuo lubitu ſecularibus curis inhient, &, quod vnicuique viſum fuerit, liberius agant.* Nulla aut rarior ſaltem ab illo tempore in Occidente Chorepiſcoporum fit mentio, qui ſeculo X. & XI. circiter tandem penitus occiderunt atque in eorum locum Decani rurales & plebani ſurrogati fue-

(*a*) In *Tr. de Chorepiſcop.* a BALVZIO edit. Tit. 8.

(*b*) Vid. *Cap. Reg. Franc.* L. VII. c. 187. Conf. BALVZ. T. II. p. 1237.

(*c*) l. d. & in *not. ad LANCELL.* L. 1. Tit. 17. §. 2. n. 242.

(*d*) *Epiſt. V.*

fuerunt. (*a*) Qui enim in ecclesiis Germaniae & Galliae adhuc retenti sunt Chorepiscopi, ex quibus Treuirensem & Coloniensem pro exemplis adducit RHETIVS, (*b*) nomine potius, quam re ipsa, tales esse censentur. (*c*)

In Anglia sub initium reformationis regnante Henrico VIII. de Chorepiscopis sub Episcoporum suffraganeorum nomine restituendis actum esse, BVRNETVS (*d*) memoriae prodidit & ex eo BINGHAMVS (*e*) adnotauit. Saltem similes illis esse in ecclesiis Anglicanis Decanos rurales, tempore Iacobi I. ostendit D. MOCKET, (*f*) quem Archiepiscopo Cantuariensi a sacris domesticis & praefectum collegii omnium animarum in Academia Oxoniensi fuisse, ex Actis eruditorum Lips. (*g*) didici, quae etiam fata libri, ob iunctos ipsi alios libros regimini ecclesiastico perniciosos, flammas passi, enarrant.

(*a*) Vid. SPELMANNI *Glossar. Archaiolog.* voc. Chorepiscopi, add. Consultiss. DIETERICVS GOTTH. ECKARDT. In der Erklärung über IOH. SCHILTERI *Inst. Iur. can.* L. I. Tit. VII. §. 21. n. 23.

(*b*) *Instit. iur. publ.* L. I. Tit. 16. §. 22.

(*c*) Conf. CHYTRAEI *Sax.* L. XXV. & XXVI. & SITHMANN *de iure Episc.* c. 1.

(*d*) *Hist. of. Reformat.* Vol. I. p. 157.

(*e*) l. d. §. 17.

(*f*) In Tr. *de politia ecclesiae Anglic.* qui vna cum RICHARDI ZOVCH *descriptione iuris & iudicii eccles.* & *descriptione iuris & iudicii temporalis* Londini. 1683. fuit recusus.

(*g*) Ann. 1685. p. 100. sqq vbi recensio modo dictorum Tractatuum extat.

In Germania excusso iugo pontificio repurgatoque B. LVTHERI opera sacrorum cultu status ecclesiasticus in terris Protestantium aliam plane faciem induit. Cessauit enim illa Hierarchia dominatusque papalis, cui adornando, tuendo amplificandoque Pontificii doctores tantopere fuerunt intenti, omneque ius circa sacra, quod Clerus per tot secula vsurpauerat, summae potestati ciuili vindicatum fuit, ac principibus Euangelicis etiam per pacem Religiosam & Westphalicam iure quasi postliminii restitutum. Neque tamen hinc omne discrimen inter ministros ecclesiae sublatum, sed boni ordinis caussa pro functionum, quas obeunt, varietate ac differentia diuersus quoque honor diuersaque dignitas eis attributa. Est igitur etiamnum quaelibet fere provincia, quae principi Euangelico paret, in certas dioeceses diuisa, quarum vnaquaeque, vti olim Episcopi inspectioni suberat, ita nunc, explosa iurisdictione Episcopali, vt pote quae omnis in principe residet, & modestiore vocabulo Latino, quod tamen Graecum ἐπισκοπῦντος planissime interpretatur, adhibito, Superintendentis curae est demandata, cuius muneris rationem plena manu tradit CASP. ZIEGLERVS.(a) Istae dioeceses suas habent parochias, maxime paganas & rurales, quarum parochi s. pastores Superintendentem, vt superiorem suum, reuerentur, de rebus in parochia sua contingentibus ad ipsum referunt, praeceptisque eius obtemperant, auctoritate principis, a qua sola robur accipiunt suum, datis.(b) Quum autem vnus saepe non sufficiat omnibus in vna provincia dirigendis, Superintendenti Generali plures Speciales & Adiuncti ad exemplum veterum Chorepiscoprum, quos hinc

(a) In libello singulari, qui *Superintendens* inscriptus est.

(b) Praeiuit iam LVTHERVS & nominis & officii huius determinatione im Unterricht der Visitatorn Tom. IV. Altenburg. fol. 408. rubr. Von Verordnung des Superintendenten.

hinc non incongrue cum illis comparat IOH. SCHILTERVS, (a) sunt subordinati. Quae instituta sicuti ad bonum ordinem in ecclesia reducendum promouendamque disciplinam ecclesiasticam multum conferunt; ita non solum in Saxonia Electorali, (b) vbi tamen deinde, tum nomen, tum officium Superintendentis Generalis fere in desuetudinem abiit, (c) sed etiam in terris ducum Saxoniae inualuerunt, vbi potissimum Ernestus Pius, dux Saxo-Gothanus, gloriosae memoriae, cui salutem ecclesiae inprimis curae cordique fuisse constat, saluberrimas ordinationes ecclesiasticas condidit & ad earum exactiorem obser-

(a) l. d. §. penult.

(b) Vid. *Ordinat. eccles. Elector.* Sax. Tit. Von der Visitation it. Rubr. Vom Amt der General Superintendenten, vbi sic constitutum legitur: Damit die Special-Superintendenten und derselben Adiuncten unterworffene Pfarrer in gebührenden Fleiß und Treu ihres Amts und göttlichen Berufs, so viel die Sorge ihrer ihnen von GOtt befohlenen Pfarr-Kinder und Inspection der andern jeden assignirten Kirchen anlanget, gehalten werden, soll jeder General-Superintendens auf seine Special-Superintendenten und Adiuncten fürnehmlich seine fleißige unnachläßliche Inspection halten, und mit Ernst sehen, damit jederzeit solche Aemter mit reinen, unverdächtigen, beständigen, aufrichtigen, redlichen, christlichen, verständigen, eiferigen Personen, so viel möglich, versehen, daß auch jeder seinem Befehl und Amt der Instruction nach mit Fleiß und treulich nachkomme, und hierinnen niemand verschonet werde.

(c) Vid. ZIEGLER l. c. c. III. §. 6. vbi rationem, cur Superintendens Wittenbergensis solus nomen istud retinuerit, hanc esse, suspicatur, vel quod prior tempore hoc titulo fuerit insignitus, vel quod Wittenberga, Electoratui vinculo annexa perpetuo, primam in circulo Electorali sedem adeoque quasi metropolin constituat.

vationem nouos paſſim inſpectores rei eccleſiaſticae & Adiunctos ἐπισκοπεύντων conſtituit.

Extra Saxoniam vero non tam frequens eſt haec functio, ſed Decanorum nomen magis receptum eſt. In his terris, vbi olim Archidiaconorum ſic dicti Locumtenentes, ſ. vicem gerentes, quales ſubſcriptiones in antiquis diplomatibus occurrunt, Adiunctis ſimiles fuiſſe videntur, Superintendentes Speciales ſunt frequentiores. Quod ad ipſam ſubordinationem Adiunctorum, vbi hi vſu veniunt, attinet, illa ita ſe habet, vt, ſi caſus dubius incidat, Adiuncti Superintendentem, & hic conſiſtorium, quod apud Proteſtantes nomine principis iurisdictionem eccleſiaſt. exercere ſolet, conſulere debeat. (*d*)

Neque tamen vnam eandemque omnium Adiunctorum eſſe conditionem, vel TVO, HONORATISSIME AFFINIS, exemplo edoceor, quod mihi diſcrimen inter Adiunctos mediatos & immediatos ſuggerit. Illi Superintendenti ſunt ſubordinati & ad eum de rebus, quae in eccleſiis ad inſpectionem ſuam ſpectantibus geruntur, referunt; hi contra immediate Conſiſtorio ſubſunt & peculiarem ſuam, vti ipſe Superintendens, habent dioeceſin, in qua etiam viſitationes eccleſiarum & ſcholarum ſuſcipiunt atque in cauſis matrimonialibus aliisque eccleſiaſticis cum iudicio eccleſiaſt. inferiori, quod das geiſtliche Untergericht vocari ſolet, primam inſtantiam formant, niſi

(*d*) Conf. *Inſtruction* die Catechiſation betreffend Tit. 2. Vor die Superintendenten und Adiunctos §. 5. in den Fürſtl. Sächſ. Erneſtiniſchen Verordnungen das Kirchen- und Schul-Weſen, wie auch Chriſtl diſciplin betreffend, quae ſaepius ſunt recuſae. Add. Kirchen-Ordnung Tit. XIV. von derer verordneten Superintend. und Adiuncten Inſpection §. 5. apud AHASV. FRITSCH. *Iur. eccleſ.* part. III. pag. 233.